

bræorum de angelo mortis. Tenuerunt, certa manere in alterâ vitâ, sive præmia, sive supplicia. Quæ Essenii de Paradiso et Inferno stetit sententiâ, congruit cum opinione Ægyptiorum (Diodor. Sicul. l. 1), quam sibi adoptârunt Homerus (Odys. lib. 19 et 24) et Græci.

Gigantes aqurum pondere oppressi, auda-
cissimi moliminis pomas lucentes (Job 26, 5) ipsi fermè coloribus apud profanos (Virgil. Æncid. 6; Hesiod. Theogon.) ac apud sacros scriptores pinguntur.

Hic genus antiquum terræ, Titania pæbes,
Fulmine dejecti, fundo volvantur in imo.

Judicium apud Inferos Minois et Rhadamanti (vide Tertull. Apolog. cap. 47; Lact. Justit. lib. 4, cap. 20; vide Homer., Platon.,

Virgil.) respondet Dei in mortuos judicio. Metempsychosis sententiâ, longè latèque in Oriente et Græciâ pervagata, communis erat pariter, et ejusdem fermè systematis apud Pharisæos, ætate Josephi. Mercurius animas deducens post obitum ad inferos, expressus est ad imitationem dogmatis judaici de angelo Michaelè ad judicium Dei animas sistente. Purgatorium Judaicum occurrit et jam in scriptis non Barbarorum tantum, sed et Græcorum et Latinorum, sive in opinione metempsychosis, quâ animæ ex alio in aliud corpus expiandæ traducuntur, sive cum animabus multa toleranda docent, ut tandem ad insulas Fortunatas et Elysios campos perveniant.

AN VETERES LEGISLATORES

Et philosophi è Scripturâ leges suas et moralem scientiam hauserint,

Dissertatio.

Rectam in scriptis polemiciâ lancem tenere, et in æstu disputationis in adversam veritati partem tantum non abripi, arduum est pariter et infrequens. Certæ ætatis opinio fuit, id omnibus viribus enitens, ut demonstraret veteres philosophos plura et optima quæque tum in legibus, cum in scriptis suis è sacris Judæorum libris expressisse. Accidit etiam non infrequenter, ut variatis temporum circumstantiis contraria probarentur, nihilque intactum relinqueretur, quò intelligerent homines nihil nosse de Scripturis philosophos; quippe qui mentem habent et spiritum, non secus ac reliqui omnes ethnici, errorum tenebris obvolutum; atque in incertum spiritus vagarentur, ut si quid inter eorum libros et mosaicos propheticosque congruere deprehenderetur, id unicè casu, et scintillæ naturalis luminis, omnibus æquè mortalibus 3 Deo concessi, tribuendum fuisset. Eo tandem, quo versamur, seculo, scriptores quidam id sibi, in aliam extremitatem abrepti, probandum susceperunt (Marsham Canon ægyptiac. et Spencer. de Legibus Hebræorum ritual.). Moysen ipsam leges suas et caeremonias Ægyptiis debuisse; quippe qui in Ægypto institutus,

quæ ibi didicerat optima (erat enim juxta sanctum Stephanum (Act. 7, 22), eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum) in succum suum transtulerit. Postremam hanc opinionem refutandum suscepimus in Prolegomeno ad Exodum. Modò aliorum opiniones in examen revocandæ sunt.

Ex quo Judæi Ægypti solum deseruerunt, usque ad extremam regni Juda et Israelis ætatem, in suâ semper regione se continentes, colendis agris et terræ ubertati, quæ lacte et melle manabat, promovendæ laboribus suis occupati, tum et curas suas omnes, nutriendis parvulis filiis, meditationi et exercitationi legis intentas habentes; discreti semper ab externarum gentium consortio; mari, quantum commodis suis sat esset propinqui, sed quantum corruptioni morum ex aliorum commercio avertenda satis remoti; cum neque connubia, neque religionem haberent cum idololatriæ gentibus communi, singularem tandem vitæ tenorem sectati, quo et odio erant et contemptui ceteris per orbem gentibus; his, inquam, omnibus perpetuo inter se charitatis foedere ita conjungebantur, ut simul nihil haberent cum ceteris omnibus commer-

cij. Hanc de populo suo ideam subjicit Josephus (Joseph lib. 1 contra Appion. pag. 1053), eademque de illis profani quique scriptores habebant. Tacit Hist. lib. 5: Instituta sinistra, foedâ pravitate valere... apud ipsos fides obstinata; adversus omnes alios hostile odium... Judæorum mos absurdus sordidusque.

Post restitutam è captivitate gentem, minis et claritate nominis et potentia valuerunt; vicissim tamen plus studij positum, tum in colendis veteribus caeremoniis, cum pariter à commercio exterorum sese continendis. Cum tamen frequentibus populî transmigrationsibus et exiliis factum esset, ut per universam terrarum orbis faciem longè latèque plures è Judæis disperderentur, nullaque esset in toto oriente, Ægypto, Africâ, insulis Mediterraneis, Græciâ, et Italice regio judæis habitatoribus vacua; Hebræi, gens licet omnibus contempta, singulari vitæ genere et politâ admirationem in se omnium gentium, quas inter versabantur, converterunt. Tum omnium versa studia inquirendæ eorum origini, historiis et legibus. Tandem sub Ptolemæo Philadelpho, rege Ægypti, versio legis ex hebræo in græcum suscepta est; ex quo deinde veluti traditi in manus libri philosophorum studia exererunt. Nihil tamen certè eâ de re affirmandum suscepimus; neque enim extra omnem dubitationis aleam positum est hunc Ægypti regem, vel bibliothecæ ipsius curatorem eam Pentateuchi versionem procurasse; quidquid enim asseverent Aristæas, Philo, Josephus de versione à Septuaginta adornatâ, facillè tamen contingere potuisse credimus, ut Judæus aliquis spontè illam susceperit. Tradit Philo de vitâ Moysis Judæos insule Phariî sollempnem ejus rei memoriam singulis recurrentibus annis celebrasse: cum interim alii Judæi solemne ad diem 8 thebet jejuniis indixissent, quod etiam nostræ ætatis calendaria notant. Addunt Judæi, eo profanatae legis horrore, tridui tenebras orbis universi faciem obdaxisse. Vide Joseph. Scal. in Calend., Jul. in Can., Isagog. lib. 4. Vide et Selden. de Jure nat. et gent. lib. 3, cap. 5; Judæos vetus Testamentum in græcum transtulisse Judæis ceteris invitis, Ligfootus autumavit.

Tunc philosophi, quibus opportunè accidit, ut vernacula eorum lingua, græca scilicet, per totum ferè orientem post constitutum imperium Alexandri Magni ceterorumque post ipsam, vulgaretur, iter aggressi sunt, quo ex-

tra patriam suam viros doctos, unde aliquid discerere conveniret. Ægyptus jam inde à pluribus seculis inter primores sapientiæ laude florentes nationes princeps habebatur. Eò proinde frequentius ventum est. Ipsi pariter Hebræi, exterorum morum discendorum avidi, itinera eâ de re et peregrinationes suscipere non recusarunt; quod exemplo discipulus Jesu filii Sirach, auctoris Ecclesiastici, qui plures se regiones ecurrisse perhibens, idem ceteris prestandi auctor est (Ecclesi. 31, 12; et 16, 25; et 39, 5).

Eo temporis intervallo, quod inter solum captivitatem et Jesu Christi adventum continetur, fama est paganos philosophos è sacris Scripturis in rem suam derivasse optima quæque moralia præcepta, quæ in eorum scriptis admirantur; tum et grandia, quæ de Deo ipsi sentire et gemina cum Moysè loqui visi sunt. Ex his fontibus Pythagoras, Plato, aliique plures optimam absolutissimæ republicæ suæ politiam derivarunt; ex his Solon majorem legum suarum partem. Pythagoras, qui longè latèque discursisse fertur, Jeremiam in Ægypto, ut fama est, vidit (August. lib. 2 de Doctr. christ. c. 28; et lib. 8 de Civil. cap. 11), Ezechielem in Chaldeâ (quidam apud Clem. Alexand. lib. 1 Strom.). Illum autem non Judæos tantum nosse, sed et ex eorum legibus plures in suam philosophiam transtulisse, Hieronimus apud Josephum est auctor (lib. 1 cont. Appion. pag. 1046). Idem pariter Josephus observat (idem lib. lib. 2, pag. 1079), Platonem ad Moysi imitationem injunxisse, ut patriarum legum tabulas assidue eives manibus versarent.

Clemens Alexandrinus (Clemens Alexand. Admonitione ad gentes pag. 46), paganos allocutus, asserit, leges Platonis aliorumque legislatorum, Hebræis pro saniori eorum parte deberi; unde etiam optima quæque et bestiam illam eloqui ubertatem hauserint (idem ibid. pag. 47, 48). Plura ejus rei exempla satis conformem utrique exprimentis rationem testantia in medium adducit. S. Justinus martyr (Justin. Apolog. pag. 15, edit. paris. an. 1656) persuasum habet veteres illos paganos philosophos non tanquam primos præstantissimarum veritatum, quæ in eorum scriptis de mirantur, auctores habendos; vix enim hæc hominî in mentem venire poterant; sed omnia ad Scripturas divinas, quæ illi in rem suam traxerint, referendæ. Singula autem propius dispiciens, demonstrat Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliosque plu-

res, cum per Ægyptum peregrinarentur, in libros mosaicos inclisisse, quorum lectione plurimum in cognitione divina nature profecerint. Contendit etiam alibi (Justin. 2 Apol. pag. 81, 82), philosophos omnes græcos, quæ de animæ immortalitate, et quæ de penis impiorum scripserunt, non aliunde quam ex scriptis prophetis repelisse; additque eam, quæ inter Platonem et Moysen, simul utriusque scriptis collatis, apparet, discrepantiam Platoni tribuendam, qui mosaicorum scriptorum sensum minus recte fuerit assecutus (Justin. 2 Apolog. pag. 95). « Si quid ergo, ait, comunc nos inter et vos in doctrinâ fuerit, non illud nostri et vestris, sed vos ex nostris acceptis. »

Hanc inter Platonem cum Moysæ cæterisque Judæorum prophetis consonantiam Celsus pariter agnoscens (vide Origen. lib. 6 contra Celsum), Judæos à Platone didicisse concludit. Sed ejus calumnias refutaturus Origenes, demonstrat, è Moysæ potius cæterisque prophetis, utpote Platone vetustioribus, philosophi illius doctrinam derivandam fuisse. Aliud in speciem quidem plausibile Celsus addelat: « Cui bono, inquit, auctores Judæos consulamus, cum eadem apud Platonem concinnatis et apertisque exprimentur? Cui reponit Origenes, sacros quidem auctores plus curarum possuisse, ut prodessent, quam ut lectores deleterent; quare stylo usos fuisse ad multitudinis captum accommodo; cum interim pagani nonnisi viris doctis scribentes, angustis studiis suis atque utilitati exinde hominibus obventuræ fines constituerint. Factum inde, ut parvis plerumque philosophorum scripta legerentur; sicut frequentissimè vicissim sacrorum scriptorum lucubrations, quæ multitudinis captui quadrarent. His causis propagationem Evangelii deberi, cum interim Plato neglectus maneret, et solitarius.

Tertullianus (Tertullian. Apolog. edit. Rigalt. pag. 19, 39, 41.), post constitutum legum mosaicarum cæterarumque Scripturarum vetustatem, tandem addit: « Scitis ipsas leges quoque vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divinâ lege, ut antiquiore, formam mutatas. » Subdit deinde: « Quis poetarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potaverint? Inde igitur et philosophi sitim ingenii sui rigaverunt. » Sed, ait idem Tertullianus, tantarum luce perstricti, in medio licet luminis versantes, totam earum elegantiam pulchri-

tudinemque intueri non poterunt; cæci pariter et presumptuosi, earum veritatem suis præjudiciis conformare volentes, corruperunt, opiniones suas et ambages divinis certisque sacrorum oraculorum veritatibus intermiscerunt: *Nec mirum, si vetus instrumentum ingenia philosophorum interverterunt.*

Dæmones, ait alibi (idem Apologet. p. 21, et 42), de industriâ in scripta poetarum quædam è Scripturis divinis verba fabellis admixta induxerunt; eodemque spiritu erroris factum est, ut in philosophorum scripta, quædam à religione nostrâ non aliena irrepent; quò scilicet insidiæ in veritatem parentur, cum tempore à divinâ Providentiâ constituto in mundo manifestari contingeret. Semel enim falsis hisce ideis et fabellis poetarum animi hominum occupati, quid inter veritatem et mendacium intercederet discriminis, mente distinguere vix poterant. Perniciosum planè artificium, quod tamen in eos tantum valuit, qui errori pervicacibus inhærentes deponere illum recusarunt. Ita factum est, ut *omnia adversus veritatem de ipsâ veritate construerentur.* Veritas fabellis delibata, vim omnem juvandi amittit. Mendacio enim fides omnis detrahitur, et Apostolis ad destruendos paganorum errores, atque superstitiones laborantibus, unâ simul factum est, ut eodem veluti lato veritates, arcto quodam cum illis vinculo conjuncte intercederent; ut *quis ideò non putet Christianis credendum, quia nec poetis nec philosophis.*

Hæc à Tertulliano fusius disputata exprimit pariter S. Justinus martyr in secundâ Apologâ; habet enim persuasum mali cujusdam genii artificio factum esse, ut poetis quædam exciderent vera, ad Jesum Christum pertinentia, atque in eorum operibus plurima deprehenderentur ex Jesu Christi gestis, sed fabularum quodam gustu tradita, et paganorum numeribus applicata. Doli enim artifex spiritus ille, probè noscens lata de Jesu Christo oracula, præoccupandas in illum mentes hominum ratus, omnia fabellis et rebus supra fidem prodigiosis infercit, quò scilicet, cum in mundum venire Redemptorem contingeret, homines fabellis fictisque prodigiis assueti, minibus essent recipiendis veritatibus, quæ in Evangelio referendæ erant, comparati; atque difficultate et arduitate examinis distinguendi vera à falsis absteriti, omnia æquæ quæ vera, quæ falsa, utpote quæ omnia fabulosa sibi viderentur, rejecerunt.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus adversus Ju-

lianum scribens lib. 4 disertè assertit veteres philosophos, per universam maximè Græciam celebratos, cum longâ ætate essent Moysæ posteriores, plura ex ejus libris in succum suum, quamvis non felici semper successu, converterisse. Cùm enim hebetiori essent ingenii acuminè, quam ut legislatoris hebraici genuinum sensum pervaderent, falsa quædam, vel minus saltem perfecta de naturâ divinâ supponerunt. Addit pariter, ex iis philosophis aliquos prophetis Judæorum recentiores, id sibi suscepisse, ut plura ex illis divinis auctoribus exscriberent. « Equis enim, ait, in eorum sibi potuisset inducere, philosophos illos, qui longas adeò peregrinationes, et maximè in Ægyptum, discendi gratiâ suscepissent, illud neglexisse, quod magis et eorum vota, et ardens inquirendæ veritatis studium explet? Quæ tandem apparet inter illos, cùm maximè de generalibus sensuum notionibus agitur, consonantia, ea sanè argumentum est apertissimum, omnes pariter ex eodem fonte potasse; cùm in rebus cæteris, in quibus singuli ingenium suum sectati sunt, nunquam inter se non committantur. » Excutienda deinde suscipit eorum dogmata de creatione, naturâ, et attributis divinis, de Verbo, Spiritu sancto, et animâ mundi.

Theodoretus in suo opere adversus Græcos sive gentiles, historicorum testimonio (1) probat, veteres philosophos, ut Pherecidem, Pythagoram, Thaletem, Solonem, Platonem peragrâsse Ægyptum, Siciliam et Italiam, nullamque fuisse sive gentem sive locum adeò remotum, à moribus abhorrentem propriis, diversis licet servientem regibus, quò illi sese conferre inquirendæ veritatis gratiâ reuerint; ut ubicumque nosset sapientes aliquos viros versari, eò statim advolarent: ex quo factum, ut non Ægyptiorum tantum, sed etiam Hebræorum doctrinâ profecerint adeò ut Pythagoras alienum sibi non duceret, si circumcissione, quam Ægyptii ex Judæis receperant, sese initiandum præberet. Laudat in eam rem testimonium Porphyrii philosophi, christiani nominis osoris, qui è Delphico quodam oraculo probat, demonstrandi itineris ad deos deductis (Theodoret. ex Porphyr. loc. cit. pag. 472) auctores fuisse Chaldaeos, Ægyptios, Phœnicæ, Lydos et Hebræos; eam verò do-

(1) Laudat Porphyrium Christianorum acerrimum adversarium, Numenium Pythagoricum, Platarchum, aliosque plures.

ctrinam, quam è barbaris tenebant, exscripsisse tantum Græcos, quin et corrupisse quandoque. Ex prophetis igitur Judæorum, ipsius oraculi testimonio, prima veritatis et vera philosophia origo repetenda est. Si quos verò populos alios, nempe Chaldaeos, Ægyptios, et Phœnicæ Apollinis oraculum Hebræis jungit, operæ pretium est animadvertere, ait Theodoretus, veritatis cognitiones in eas gentes nonnisi à Judæis devenisse. Debet enim doctrinam suam Phœnicæ commercio cum finitimis judæis, debent Chaldaei Judæis in suâ regione captivis. Quibus enim prodigiis Deus Danieli ejusque sociis favit, illis pariter insinuat pluribus Chaldæorum veritas. Ipse pariter Cyrus in verâ religione institutorem habuit Daniele, virum in aulâ suâ principem. A Cyro verò subacti Lydi, legem pariter et veram religionem acceperunt. Contubernium tandem veterum Hebræorum in Ægypto gentibus illis profuit, quò discerent eorum de naturâ divinâ cæterisque ad religionem pertinentibus dogmata.

Idem fusius demonstrat Eusebius toto libro undecimo Præparationis evangelicæ; probans (item lib. 12 et 13), Platonem potissima philosophiæ et theologiæ suæ dogmata è sacris libris derivâsse. Nititur etiam demonstrare, sententias ejus philosophi plures cum Scripturâ convenire, longo ordine recensens ea quæ à Platone de Verbi divinitate scripta sunt, de ideis, de summo bono, virtute, animæ immortalitate, creatione mundi, resurrectione, Dei que judicio, etc. Si autem, addit ille, Græci Platonem ducent secuti sunt, ipse verò Hebræos, tota est Græcorum philosophia ex Hebræis repetenda. Eandem collationem prosequitur toto libro duodecimo, et parte decimi tertii, ubi testimonium Aristoboli laudat ingenue fatentis Platonem leges et disciplinam, sive cærenonias et mores Hebræorum expressisse. Tradit insuper, ante Alexandrum Magnum et Persarum imperium vulgatam fuisse græcam Pentateuchi versionem, quæ cùm minus exacta, nec numeris omnibus absoluta deprehenderetur, alteram Demetrio Phalereo instante, sub rege Ptolemæo Philadelpho susceptam fuisse. « Priori illâ versione, ait, Pythagoras, Plato, Socrates, alii que plures ante Philadelphum in scientiâ divinitatis, provicentis, et creationis mundi profecerunt. » Laudat deinde Eusebius testimonium S. Clementis Alexandrini, non semel nec obscure perhibentis (vide Clement. Alexand. Strom.

lib. 1, pag. 299, 342, etc.; et lib. 5, pag. 559, etc., et 592, etc. Ita lib. 6, et Exhortat. ad gentes), veteres philosophos, et potissimum Pythagoram ac Platonem optima quaeque sua, quemadmodum ex plurium sententiarum collatione demonstrat, lectioni mosaïcorum et propheticorum librorum debere.

Gemina legas non semel apud S. Ambrosium (Ambros. in Psalm. 118, serm. 2, num. 5 et 13; et de Fugâ seculi cap. 8, num. 47; de Bono mortis, cap. 10, n. 43; et cap. 11, n. 51 de Noe et Arcâ c. 8), qui affirmandum sibi ducit, Pythagoram et Platonem, cum in Ægypto versarentur, plura ditandis operibus suis è sacris libris decerpisse. Insuper etiam eam inter primas Platonis curas veniendi in Ægyptum fuisse, ut scilicet res gestas Moysis, ejusque legem et oracula Prophetarum disceret (idem in Psalm. 118, num. 4): « Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, ut Mosis gesta, legis oracula, Prophetarum dicta cognosceret. » Exceiderat aliquando S. Augustino (lib. 2, cap. 28 de Doct. christ. et lib. 8, cap. 11 de Civit.), Platonem, cum in Ægyptum venisset, Jeremiam nosse, vel saltem ejus scripta legisse; sed rem paulò attentius exequens, pulcherrimam cecinit (Retract. lib. 2, cap. 4, num. 1), cum Jeremias ante Platonem fati- casset, nec sacra Scripturae graecis litteris, nisi post obitum ejus philosophi, tradita fuerint. Quare, ait, cur sacras Scripturas graecè legeret, nihil erat: facile tamen potuit, addit, hebraeo interprete legendis hebraicis libris uti, quemadmodum et Ægyptio legendis Ægyptiis usus est: quin et id consilium secutum demonstrant ea quae de creatione mundi paria apud ipsum et Moysen leguntur: sicut et quae Plato verbis ipsis mosaïcis de numine locutus est (Exod. 3, 14): *Ego sum qui sum; sic dices filius Israel: Qui est, misit me ad vos.* Addit verò alibi (August. de Doct. christ. cap. 28, num. 43): « Multò credibilis est, istos potius de litteris nostris habuisse, quæcumque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Dominum Jesum Christum, quod dementissimum est credere. »

Illic habent majoris momenti argumenta quæcumque ea tenentur persuasione, veteres Graecorum philosophos saniores philosophiae suae partem è sacris litteris Hebraeorum habuisse. Sed cum de re aliqua gesta quaestio agitur, nihilque divinitus revelatum, sive ad Religionem saltem obliquè spectans in ea re habetur; unicò spectanda sunt rationes, qui-

bus id sibi asserendum Patres censuerunt. Porrò rationes illae ad duo potissimum capita reducendae sunt: primum philosophos plura nosse, quae in sacris libris leguntur; secundum, eorum plures iter in Ægyptum habuisse, ubi frequentissimos Judaeos versari contigit. Illic tamen omnibus tria reponenda: 1º Neque philosophos, nec alios quosque scriptores coævos unquam fassos, se vel Judaeos præceptores audisse, vel libros eorum legisse. 2º Quæ inter utrosque scriptores apparet sententiarum convenientia, unde potissimum ejus sententiae argumentum petitur, intentum minus illa quidem quam pro receptâ opinione probat; potuit enim ea alterâ, quam quæ constituitur, causâ originem trahere. 3º Philosophos, de quibus motò, cum ante versionem graecam sacrorum librorum florissent, eorum librorum lectione nihil profecisse poterant. Non tamen negaverim, aliâ viâ, traditione nempe, potuisse earum veritatem notitiam ad illos descendere; sed de facto ipso, quod certum alii statuunt, dubitationem movemus.

Si verò auctoritas auctoritati opponenda, minori quidem scriptorum numero adversa sententia fulcitur; sed majores illi vicissim et solidiores rationes. Demetrius Phalereus, Aristaeas, Aristobulus, et Josephus plus favent sententiae negant, aliquid è sacris libris philosophis innotuisse, quam affirmant. Origenes, Tertullianus, sanctus Augustinus, quos posterior ista opinio inter suos vindicat, adversam strenuè propugnant. Tandem Lactantius demonstrandum sibi, nec levibus et facile revincendis rationibus suscepti divinas Scripturas prorsus philosophos latuisse. Sed planius eâ de re agendum.

Philo Judaeus (Philo lib. 1 de Vitâ Mos. pag. 657, 958), agrè adeò sibi persuadebat, philosophos è sacris Scripturis aliquid deduxisse, et luculenter asserat, ante versionem graecam cum Ptolemæo Philadelpho gentiles nihil de sacris Judaeorum libris nosse. Cui scriptoris assertioni eò major in eâ re fides adhibenda est, quò in studio Platonis excultior erat, ut de illo obtineret: Sive *Philo platonizat*, sive *Philo philonizat* (Hieron. in Catalog. Scriptorum Ecclesiast.). Qui tandem inter sententias Platonis et Moysis consensus statuitur in iis quae ad creationem mundi pertinent, ille sanè impetrare ab eod. m. scriptore non potuit, ut crederet Platonem Moysen exprimere intendisse; vulgatum enim esse ait, Platonem suam

illam sententiam ab Hesiodo deduxisse. Verùm, addit Philo (Philo lib. Quòd mundus sit incorruptus pag. 840 : 941), « Longè antiquior Moyses legifer docuit Judaeos, mundum esse ægenitum et incorruptibilem, quod scriptum reliquit in sacris voluminibus. »

Aristaeas, ex quo Aristobulus, Philo, Josephus, ceterique post illos Patres hausserunt omnia quae de versione sacrorum librorum ex Hebraeo in Graecum sub Ptolemæo Philadelpho litteris mandârunt, Aristaeas, inquam (Aristaeas de Septuaginta Interp.), nunquam in mentem sibi induxerat philosophos Mosaïcorum scriptorum aliquid adoptasse, quamquam alioqui assereret, ante Ptolemæum versionem aliam, minus quidem probatam, portionis saltem Scripturarum obtinuisse. Namque Demetrius Phalereus loquentem inducit, Hebraeorum scilicet libros eò plus regias sibi curas et thesauros mereri debuisse, quò leges continent sanctitate et divinitate cæteris omnibus præstantiores. Hujus verò doctrinae, ait, si nulla unquam mentio occurrat apud scriptores, poetas et historicos cæteros, id in causâ fuit, teste Hecataeo Abderitâ, quò puritate et sublimitate sua nimis extollerentur. Ex quo verò adornate jam versionis lectio facta est eorum rege, admirari se dixit idem rex Demetrium allocutus, opus illud, verè divinum, philosophos omnes et poetas fugisse. Cui Demetrius legis illius sanctitatem et divinitatem nunquam violari profanorum ore debuisse, respondit; unde scriptores quosdam satagentes, divinae ultionis penas dare coactos ab incepto destitisse.

Adjecit Demetrius Theopompum, quòd talia auderet, è statu mentis subito decidisse, nec nisi post mensem sui composum factum. Cuius autem lucido aliquo intervallo eo temporis spatio uteretur, rogaretque interim Deum, ut causam inflicti sibi morbi tandem aperiret, per quietem certior factus est id in suum caput ultionis provocasse, quòd secreta et digna silentio pandere ausus fuisset. Quare ab incepto statim desistens, sanitati mentique actutum restitutus est. Ita pariter, addidit Demetrius, referentes audivi, Theodectum poetam tragicum volentem in sua carmina aliquid de libris Mosaïcis traducere, statim luminibus captum temeritatis suae luisse penas, nec nisi precariam sanitatem recepisse.

Non ego quidem pro historia Aristaeae et relatâ ab eo exemplis vadem me exhiberem,

neque enim me fugit quid contra ejus historiae veritatem scripserint sapientissimi plures viri, uti Valerius, cardinalis Bonh. Josephus Scalliger, Holy Vandale, alique plures, ad fabellam quantum quantum illum amandantes. Nec sanè facili negotio objecta ab illis in eam historiam plura dilaberentur; e. g., quòd Aristaeas Graecum se, pagannum, et præfectum in aulâ regis Ptolemæi Philadelphî factitaverit, cum interim nunquam se non Judeum quâ in verbis, quâ in stylo hebraïsmis redundanti demonstrat: testatur insuper, Demetrium Phalereum bibliothecam regis curasse, cum testimonio Hermippi apud Diogenem Laertium constet, Demetrium, quòd partibus Ptolemæi Soteris adversus Philadelphum favisset, in exilium actum aspidis morsu sibi necem conscivisse, Philadelpho regnum inente. Ad hæc, Demetrius, Graecorum suâ ætate eloquentissimus, barbaro quodam eloquio disserentem inducit Aristaeas, et indigna viri ingenio, eloquentiâ, et eloqui puritate effluentem. Laudat etiam Demetrius apud eundem Aristaeam testimonium Hecataei, tanquam auctoris vetusti, cum alioqui suppar esset atque. Eptastadium commemorat, quòd tamen post Philadelphum regnum constructum est. Meminit pariter victoriae regis Ægypti ex Antiocho, tanquam eo tempore relate, quò Septuaginta Alexandriam venerant, cum factum illud ad regnum alterius Ptolemæi pluribus post Philadelphum annis pertinere. Litteræ ad Eleazarum sacerdotem summum, sicut vicissim Eleazarum ad regem, Demetrii pariter sermones eundem simplicissimum styllum referunt. Plura etiam in rem præsentem observari potuissent, quibus fabelle suspicio promoveretur. Quod autem nostrum intentum maximè vincit, illud est, nimirum scriptorem illum Judaeum planè, et quòd vetustissimum, quippe cujus scripta norint Philo et Josephus, ne quid dicamus de Aristobulo et Alexandro Polyhistoro, quorum est dubia auctoritas, autorem, inquam, illum nunquam sibi persuasisse, profanos auctores sacris Judaeorum Scripturis aliquid debere. Quæ de antiquâ graecâ Scripturae versione ante Ptolemæum Philadelphum in eorum libro asseruntur, infra in examen revocabimus.

Porrò hoc scriptoris testimonium, negantis paganos aliquid de Scripturis divinis nosse, eò pluris faciendum est, quòd Josephus (Antiq. lib. 12, cap. 5), Clemens Alexandrinus (Ström. lib. 4), Eusebius (Præp. lib. 11) alique plures post ipsum, et adoptandum sibi illum et

non sine elogio referendum duxerunt. Origenes non concedit quidem Celso (cont. Cel. lib. 6), Platonem aliquid è scriptis Mosaicis expressisse; sed illud tantummodò sibi demonstrandum suscipit, Moysen et Prophetas multò esse philosopho illo vetustiores, ut non nisi per summam impudentiam assereretur, scriptores Hebræos Platonem etate se planè inferiorem imitatos fuisse; idemque Origenes in suo Commentario in Canticum Canticorum, (Apud Hier. tom. 2, pag. 812 nov. edit.) quem S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit, hæc habet: « Nunc Moysis nomen auditur, et quod prius Judææ tantùm claudabatur agnoscitur. Neque etiam Græcorum quispiam meminit ejus, neque in ullâ gentium litterarum historiâ de illo seu cæteris scripturæ aliquid invenimus. » Novit pariter Josephus Græcorum historicorum eâ de re silentium (adv. Apion. lib. 1, pag. 1051), cujus rei hanc sibi rationem censuit reddendam, nimirum nunquàm illos nostros libros legisse; additque Demetrium Phalerum, veterem Platonem, et Eupolemum, de illis aliquid, sed minus exactè et sincerè tradidisse; quòd scilicet neque illorum historias consulissent, neque ad res ejusdem gentis animum applicassent.

Tertullianus, cujus supra mentem expressimus (De Anim. pag. 505, 506), aperto licet testimonio asseruisset, Prophetas et philosophos aliquid unde discerent et opera ornarent sua, è Scripturis sanctis quasivisse; alibi tamen eam loquendi rationem usurpat, ut priorem illam sententiam num satis ipse probaverit, incertum relinquat. Quemadmodùm, ait, per obscuræ notis opaca atque per oppansas celo nubes furtivis aliquis lucis radius transpirat; sicut mille fluctibus agitata navis, atque insano tempestatis furore jactata, prospero interdùm errore in portum insperato depellitur; ita pariter paganis auctoribus radius subinde quidam affulget, qui cæcâ nocte agentibus, cæcâ quidam, ut ita dicam, felicitate vera nonnulla demonstrat: sed et naturâ pleraque suggeruntur quasi de publico sensu. Non inde tamen jure inferitur, eos qui talia loquuntur, Prophetas Judæorum consuluisse; plus enim diversitatis invenias inter philosophos quàm societatis, cum et in ipsâ societate diversitas eorum deprehendatur. » Addit pariter: « Vera quoque et consonantia Prophetis aut aliunde commendant, aut aliorum sumuntur, cum maximâ injuriâ veritatis, quam efficiunt aut adjuvanti falsis, aut patrocinari. »

S. Augustinus quanquàm alioqui sententiarum affinitatem inter Platonem et Scripturam admiraretur, nec semel significaverit non alienum esse se ab eâ opinione, potuisse à philosophis quædam è libris sacris decerpit; non ita tamen patronum se ejus sententiæ constituit, quin contrariam etiam quandoque demonstrandam suscipiat. Philosophi hujus mundi, ait ipse, (Serm. 141. de Verb. Joan. t. 5, pag. 682, 685, nov. edit.) æternam et immutabilem veritatem prospexerunt quidem, sed iter ad illam deducens penitentiâ ignorârunt. Creatorem per creaturas detexere, et in cognitionem auctoris mundi ex eodem mundo venerunt; sed veritatem in iniquitate detinuit. Non illius Deus sive lege sive revelatione manifestatus est; sed invisibilita ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt. Nihil igitur ad philosophorum illorum doctrinam sive lex, sive Scripturam Judæorum, quas, ipso eodem S. doctore fatente, Græcorum literis eorum etate nondum traditas fuisse constat (De Civit. lib. 8, cap. 41).

Potuisse Platonem, ceterosque dogmata sua è scriptis præcedentium philosophorum et poetarum derivare, idem S. D. alibi (ibid. lib. 8, cap. 42) agnoscit. Nec abs re quidem suis expressit, è scholâ Socratis didicisse; Socrates verò, cum in Ægyptum venisset, viros doctos, et sacerdotes ejus gentis consulenter. Anaxagoræ, et Euripidi eadem sedebat opinio de creatione mundi ac Ægyptiis, nec multùm ab illâ Aristophanes abhorruit (in Avibus). Quis autem dixit unquam scriptores illos sacra Hebræorum scripta suffuratos? Anaxagoras Socrate vetustior erat; Euripides, et Plato eundem Socratem audierunt; ad eandem ætatem Aristophanes pertinebat. Non erat igitur cur Plato ex urbe Athenarum digrederetur, quòd dogmata illa in scriptis suis expressa disceret; dogmata, inquam, illa, quæ nonnisi è Scripturâ repetere illum potuisse adversæ sententiæ assertores contendunt. Omni etate, et apud omnes aequè gentes veteres quædam traditiones obtinuerunt de naturâ Dei, de creatione mundi, et diluvio, quæ nulla rerum vicissitudo è mentibus hominum exereare valuit; sed traditiones illæ majori fide apud barbaros servate sunt, quàm apud Græcos, quemadmodùm ab Augustino observatum est. (August. lib. 18, cap. 57 de Civit.)

Confusam earum rerum variis scriptorum opinionibus notionem Laetantius (Laetant. 49

Origine erroris lib. 2, cap. 41), scitè admodùm explicans, non negat ille quidem plura esse quæ in verbis, quàm in rebus inter poetas, et philosophos cum Scripturis affinia; sed hæc omnia aliunde repetenda esse demonstrat, quàm ut è sacris libris suffurati pagani crederentur. Profectò illi nullas litteras veritatis attingerant; sed semina quædam veritatis è fabellis, et prisca populorum traditionibus, quæ in scriptis suis deinde sererent, sedulo collegerunt: « Quæ Prophetarum vaticiniis tradita è in sacrario Dei continerantur, ea de fabulis, et obscuro opinione collecta, et depravata, et ut veritas à vulgo solet..... carminibus suis comprehenderunt. »

Mirari se alibi significat (De verâ Sap. lib. 4, cap. 2), Pythagoram, et Platonem, qui discendi gratiâ Ægyptum, Chaldæam, et Persidem decurrerunt, quò varios eorum populorum mores et religionem spectarent, ut in Judæam venirent, ubi situm suam discendi extinguerent maxime potuissent, ne cogitasse quidem: « sed adversos esse, inquit ille, arbitror divinam providentiâ, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, justitiamque noscere. » Tanta enim hominibus reserare, supremi erat hominum institutoris, qui venturum expectabat. Quæcumque igitur spectetur sententiarum affinitas inter philosophos, et sacros auctores, nunquàm tamen certum ex eâ deduci potuisse arbitror argumentum, quo plagii reos philosophos illos accusemus. Poterant utrique ex uno eodemque fonte hausisse: Deus veritatum omnium auctor est, et origo. Scripserint licet sacri auctores peculiari quodam Spiritu afflati, non eo tamen prohibebantur, quin plura noscerent, sive studio, sive experientiâ, sive meditatione, sive sensuum conscientiâ. Lumen naturale æquè omnibus hominibus affulget; et summus omnium præceptor, quicumque ejus verbis intimam cordis aurem præbet, hæc intentos auditores docent omnes. Inter ea quæ in philosophorum lectione animum percellunt, num gestorum narratio aliqua, rerum circumstantiæ, nomina, adscriptiones temporum, et singulares quædam loquendi rationes nonnisi è sacris libris derivandæ occurrerunt unquàm? Profectò exceptis generalibus quibusdam notionibus de naturâ Dei, de lege naturali, de officiis, imbecillitate, atque magnitudine hominis, quò affinitas illa spectetur nihil erit. Illis autem omni-

bus detegendis solâ meditatione, naturali lumine adnoto, opus est.

Nulla vel ferè nulla in Religione veritas occurrit, quæ sectam aliquam philosophorum in sui patrocinium non vindicaverit, juxta ac Lactantius animadvertit (Laetant. de divino præmio lib. 7, cap. 7): « Nam particularitatem veritas ab his tota comprehensa est. » Sed quemadmodùm idem scriptor adjecit: « Totam veritatem, et omnem Religionis arcana philosophi attingerunt; sed aliis refellentibus, defendere id, quod invenerant, nequiverunt; quia singulis ratio non quadravit. » Profectò si omnes à Scripturis decerpta tradidissent, cur inter se discrepant, nihil esset. Religionis systema unico jungitur contextu in sacra Scripturâ, parùm sibi constat apud philosophos.

Superest modò in examen revocemus, num ante Ptolemæi Philadelphici regnum, vetus quædam obtineret græca, sive omnium sive partium tantùm Scripturarum versio, ab eâ prorsus diversa, quæ hodiè nomine Septuaginta vulgata est. Eam sententiam tenuisse fictum illum Aristæum in superioribus animadvertimus; loquentem enim inducit Demetrium Phalerum, quasi scilicet audivisset, Theopompum quemdam decerpere quædam voluisse è versione jam inde adornatâ, quamvis fictum exactè neque omnibus numeris absolutâ, statimque è statu mentis emotum penas luisset. Rem quidem neque assertò narrat Aristæus, neque documentis probat; sed aliorum relatione audita scribit. Plus aliquid addit Aristobolus (Aristobolus apud Clement. Alex. Strom. lib. 4), disertissimis verbis asserens, ante Demetrium Phalerum, qui et ante imperium Persarum, et regnum Alexandri Magni, adornatam fuisse Græcam sacrorum librorum versionem; quæ Græcis litteris traderetur historia exentis ex Ægypto populi, cum et omnium, quæ à Deo pro Hebræis edita sunt, prodigiorum, legis Mosaicæ, et tradite in potestatem populi Chanaanitidis, quibus verbis non obscure significatur libri omnes Moysis, et Josue, ac Judicis.

Verùm minor est etiam hujus scriptoris quam Aristæi fides. Si quæ fuerat Græca potissimum Scripturæ librorum versio, Platoni, cæterisque philosophis non incognita; cur tantis verbis Demetrius necessitatem et arduitatem novæ hujus versionis exaggerat? Ut quid procurandæ novæ eorumdem librorum versionis regis Ægypti thesauri impenderentur? Si

enim ad unam summam redigantur quæ per eam occasionem profusa ab Aristæa narrantur, profectò non minor constabit quàm ultra 1200 talentorum, nempe 3,325,600 librarum, pro singulis talentis Ægyptiis 2,688 libris computatis: intolerabilis est etate etiam pro rege Ægypti profusio. Adde versionem Græcæ sacrorum librorum ante Cyri et Persarum regnum nulli bono futuram; neque enim sive Judæorum ultra Euphratem sive in Ægypto versantium usui fuisset; neutri enim græcæ linguam callebant; græcum enim cloquium in illis regionibus non nisi post Alexandrum, et imperii Persarum eversionem obtinuit. At enim valebat pro Græcis sub Cyro in Asiâ Minori dogentibus? Esto, sed quibusnam argumentis laboratum esse pro illis demonstratur? Quin et Græci illi si quando in

suam linguam translato sacros libros habuissent, nunquàm sanè querendos illos in Ægypto suscepissent; neque et ignoratione rerum Judaicarum tenerentur, ut ne nominis quidem illorum in suis operibus meminere. Fabulam planè sapientem ea quæ de ultione divinâ in Theopompum, et Theodectum, quædam de sacris libris scribere in suis operibus tentantes, ab Aristæa referuntur. Est igitur dubitandi locus, num philosophi Ptolemæo Philadelpho vetustiores de lege Dei divinisque Scripturis aliquid noverint; vel si quid audierant, id sanè leve admodum et confusum potius ex relatione et consuetudine cum Hebræis, quàm ex lectione eorum librorum deductum credunt. Hæc, quantum sapimus, probabilissima de quæstione hæc ambigua dicenda suppetebant.

DE GIGANTIBUS

Dissertatio.

Og solus remanserit de stirpe gigantum.
(Deuteron. 5, 2.)

In totâ antiquitate maximè celebres gigantes habentur, quippe quibus testimonium ferunt poætæ, historici, et quæ sacri, quæ profani scriptores; omnium denique seculorum traditio, cum vetustissimis regionum monumentis, unâ omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis et virium habitu, tum et coeporum audaciâ longè latè quæ sui nominis terrorem intulerunt. Ut autem insitam habent homines in res novas propensionem, magnis majora libit adicere, non poætis tantum, sed et historicis non rarò adeò rem per se miram exaggerantibus, ut justos rei limites præscribere, et verâ à falsis discernere, operis sit non exigui. Nec minus est laborandum, si quis velit ad fidem inducere suspiciam quædam ingenta, quibus errandi timor satis est cause, ut credulitatem suam erga res insuetas et à nostris tractu certisque familiis frequentius, quàm alibi prodierint, ut certum genus et peculiaris gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui gigantes extitisse negant, non satis convenit. Assertit Josephus lib. 1 Antiq. c. 4, angelos plures ad filias hominum acc-

1º Gigantum nomine non viros tantum intelligimus, qui procerioris corporis staturâ cæteros regionis suæ viros non digiti solum vel etiam semipedis aut pedis mensurâ superant, plures enim in mundo ejus generis occurrunt; sed viros designari arbitramur, nostræ ætatis homines pedibus nonnullis, vel etiam duplo, triplo, quadruplo justam staturam quinque pedum et semis excedentes. 2º Neque id nobis querendam, an plurium seculorum successu contigerit aliquando, ut naturæ quodam nisu gigantes prodierint; quemadmodum interdum monstra et pumiliones spectantur, quorum singuli successione carent. Sed illud discutimus, an vetustissimâ ætate ante diluivum, et dñi etiam post, satis frequentes homines occurrerint justâ hominum nostræ ætatis staturâ multò superiores; qui in certo quodam regionis tractu certisque familiis frequentius, quàm alibi prodierint, ut certum genus et peculiaris gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui gigantes extitisse negant, non satis convenit. Assertit Josephus lib. 1 Antiq. c. 4, angelos plures ad filias hominum acc-

sisse, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil sanctum habebant, eoque aggressi sunt, quæ de Titanibus poætæ comminiscuntur. Gigantum ergo nomine designari credit Josephus viros audaciâ impotentes. Aliquis fortè putat, ait Philo de Gigantibus, p. 292, quæ poætæ de gigantibus fabulantur, hic legislatorem subdicere, cum hæc immensam distent à fabulis. Nullam de gigantibus affert fabulam, sed illud se docere vult, eos venari voluptates corporis, et harum usum fructum, querendo singularem materiam. Ipse idem Philo de turri Babelicâ à gigantibus edificatâ agens, tradit paganos cum hæc legerent reclamasse: Ecce sacri, quos vocatis, libri fabulas continent, quales aliis referentibus irridere soletis. Simillimo enim ausu gigantes ædificationem turris aggressi narrantur, quo de gigantibus Pelion Olympo et Ossæ superimponentibus ad cælum obsidione tentandum fabulosa vetustas commenta est. Universam hæc historiam Philo ad allegoriam referendam contendit, autamans, sub allegoriæ hujus ambagibus hominis impij adversus Deum audaciam, et proterviam exhiberi. Nulli erant ergo huic auctori sive anti, sive post diluivum gigantes.

Persuasum pariter fuerat Origeni, gigantum nomine non viros corpore immanes designari, sed scelestissimos quosque, impios, atheos, et hujus farinae homines, quibus nulla de Deo, hominibus, et justitiâ, est cura. Malunt alii cum Eusebio Casariensi Præpar. l. 5, c. 4 et 5, gigantes apud Moysen ipsissimos esse demones, quorum adversus Deum pugna in gigantum et Titanum adversus deos fabella describeretur. Exequemur inferiis veteris illius opinionis originem, quæ gigantes è demone parente accersit, quia et ipsas gigantum animas in censum malorum spirituum refert. Quam tamen opinionem cave ne cum alterâ gigantes proorsis subducente confundas; illa enim à communi omnium sententiâ in eo tantum recedit, quod de gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres demones cum filiabus hominum ante diluivum commixtos esse referendos; cum interim contraria gigantibus opinio librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chrysostomus in Gen. hom. 22, tenet, gigantum nomen exprimere in Scripturâ viros corporis robore et staturâ immanes; quorum in censum hom. 50 in Gen., referi Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, gigantem. Pro-

fectò hebræum *Gibbor*, quem gigantem reddunt, sonat ad litteram virum fortem, et impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad imperatorem Julianum respondens, lib. 9, insinuare videtur, gigantes monstros similes viros esse, quos quidem proceritate corporis et robore reliquos vulgò homines superare potuisse credit; sed multum concedere gigantibus illis, poetarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipso maris sinu insulam manu avulsam contra cælum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ stylo gigantes viri fortes et audaces, ore terribiles, et monstro simillimi, quos vindicis numinis ira effudit, atque malè affecta parentum phantasia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expressisse necessitatem nominis gigantum, ne fortè nominis similitudine cogenter in Scripturâ viros agnoscerent eadem corporis immanitate, quæ apud profanos poetas gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum centauris aliisque monstros, errantis phantasiæ ludibrio efformatis, habentur. Centauri gigantes, et quidquid aliud falsâ cogitatione formatum, habere aliquam imaginem copit, quæ quavis non habeat substantiam, ait Seneca Ep. 83. Totam illam de gigantum aversus deos expeditionem fabellam ad allegoriam detorqueus Cicero de Senect. significari tantum credit passionum adversus rationem et naturam certamen. De gigantibus hæc Macrobius Saturn. lib. 1, cap. 20: Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quædam impiam gentem, deos negantem, et ideo existimantem deos pelere cælesti sede voluisse?

Scriptores quidam rerum naturalium cum in animum inducere non possent, natos unquam in rerum naturâ viros, quales describunt gigantes, suspicati sunt, ea omnia, quæ de gigantibus in cælum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam spiritu, quo terræ viscera concutuntur, exponenda fuisse. Vim enim inferunt venti, ut è terræ carcere liberati per apertum arena exspatiuntur, ejus libertatis amore mirum est quanto impetu montes disjiciant; excitant non rarò ignes, lapides longè ejaculantur, specie quasi in cælum protrudant. Tunc Jupiter, i. e., cælum et aer, fulgurâ in illos et imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, subterranei ignes extinguuntur, vel saltem ita cohercentur, ut exterius non prodeant. Hinc nata fabella,